



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Practica Theologiae Mysticae

Gelen, Victor

Coloniae Agrippinae, 1652

Articulus Primus. Contemplator diutino conamine ad status vltiores
seipsum promouere studeat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9766

ad vltiora esse transeundum. Sicut è
contra, nimirum quando quis non
tantum ad anteriora procedenda non
extimulatur; sed sibi abundè satisfac-
tum in inferioribus sentit, pro certo
documento teneat, sibi in ijs, quæ huc-

usque dicta sunt remanendum esse, &
præsumptionem olere, altiora se qua-
rere, quid autem hisce postremis vlti-
riùs agendum sit, consequenter dice-
mus.

DE MYSTICIS QUI AD STA- TVS MODI OPERANDI SUPERNATVRA-

LITER NON TRANSEVNT.

DECISIO NONA.

EO quod nemo ad status modi operandi supernaturaliter trans-
eat absque speciali Dei gratia, & elationem animi sapiat, si quis
à Deo non vocatus, ad illos temerè velit transire; maximè verò, vt
illi qui fortè ex proprijs culpjs, melioribus charismatibus seipso
indignos reddiderunt, probè intelligant, quid circa exercitium o-
rationis mentalis, vtiliter in residuo vitæ suæ præstare possint; ne-
cessaria quædam hoc loco subijcere oportuit, &

- I. Quod contemplator diutino conamine ad status vltiores seipsum promouere stu-
deat.
- II. Quod si Mysticus ad status supernaturales transire nequeat in inferioribus ordine
promiscuo sese perfectiùs semper exercere habeat.
- III. Vt mysticus quoquo modo defectus corrigere, tentationes superare, & virtutes ex-
ercere studeat.

ARTICVLVS PRIMVS.

*Contemplator diutino conamine ad
status vltiores seipsum pro-
mouere studeat.*

POsteaquam spiritualis profectus a-
mans, omnem quasi internum gu-

stum, auxiliumuè cognouerit cessare,
non illicò fœminea inconstantia, virile
pectus confringat, animumque de-
spondeat, tanquam ad perfectiores sta-
tus non vocatus, desistere habeat ab eo,
quod in primis annis tanto animæ suæ
solatio inceperat. meminere quæso in

M 3

mysti-

a Vt dictum 2. p. Det. 1. 4. 1.

mystica vita insignes viros quosdam pluribus *a* annis desudasse, antequam vel ad cognitionem, vel ad praxin statuum modi supernaturaliter operandi, pertingere potuerint. quin imò non fore tutum, antequam ea, quæ in statu priuationis *b* habentur, si non omninò saltem aliquo modo practicata sint, ab ulteriori & perfectiori modo operandi, desistere *c* [nunquam enim debemus à sacro veritatis amore deserere; sed dare operam quam maximam possumus, ut ad eam continenter, ac semper nitamur, quærentes semper quod nos ad maiora diuinitatis munera perducatur] quamuis [sentiat cælum *d* de superæneum, dum nullam deuotionis, velut roris cœlestis stillam pulsando in oratione percipit; & terram cordis sui ferream, dum nullo psalmodum, vel orationum irriguo, ad fructum compunctionis emollitur.

Eapropter diutino conamine contemplator, ad vteriores status seipsum promouere studeat, & quidem [suauissimis, atque amabilissimis, quæ quidem excogitari *e* poterunt, verbis alloquendus est Deus in hunc videlicet modum. Utinam *o* amantissime, & vnicè dilecte, dignus forem inter charissimos amicos tuos annumerari; teque in anima mea amplecti, & vel centies millies osculari, totumque te intra me circumplecti, ad còque in intimis meis recludere, ut te nunquam amittere possem] pro quo quidem [roga *f* dari tibi de-

uotionis lumen, diem serenissimum, & sabbatum mentis] quid autem facientem sit illis, qui vtiliter tota vita in statibus hucusque expositis permanere habent, consequenter dicetur.

Quod si mysticus ad status supernaturales transire nequeat, in inferioribus ordine promiscuo sese perfectius semper exerceat.

ARTICVLVS SECVNDVS.

VNusquisque debet circa diuinum radium ita moderari seipsum, ut nec per ignauiam, ab illius excellentia decidat in deterius: neque tendat vterius per superbiam, ibi quidem sanctitas; hic autem temperantia lucet. itaque conatus ille non ideò diutinus esse debet, ut aliquis se statibus ingerat sublimioribus ultra sortem; sed ne tepori, aut negligentiae locus detur, utque depuratus ad supernaturales modos transeat; aut longæ patientiæ, & resignationi satisfaciens, æquè conformiter ad Dei beneplacitum in inferioribus persistat, uti ad maiora transiret. Cum ergò quotidiana experientia manifestum sit, plures mysticos, etiam multorum annorum curriculo ad status supernaturales *g* non peruenire, quin imò subindè satis perfunctoriè tam dies vitæ, quam tempus orationis mentalis absoluerent.

Hinc est, quod præter ea, quæ muneris sui esse nouerint; (ne omninò ab inferiori

a 2. p. Dec. 2. a. 8. *b* Inf. 2. p. Dec. 2. *c* S. Dion. de Eccl. Hier. c. 2. *d* S. Bern. epist. ad Frat. de Monte Dei. *e* Taul. serm. 2. Dom. 17. post Trin. circa f. *f* S. Bern. serm. 3. de Circumcis. *g* Vt dictum 2. p. Dec. 2. a. 8.